Universitätsbibliothek Paderborn

Annales Ecclesiastici

Incipiens ab Anno Domini D.XVIII. perducitur vsque ad Annum D.XC. nempe ab Anno primo Iustini Senioris, vsque ad quintum Mauritij Augusti. Complectitur annos LXXIII.

Baronio, Cesare

Coloniæ Agrippinæ, 1624

Iesv Christi Annus 537. Silverii Pap. Annus 1. Ivstiniani Imp. 11. Vitigis Reg. 1.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14926

Visual Library

Agapetum hoc anno defunctum, ante tempus Synodi Conſtantinopolitanæ ſub Menna, quæ cœpta eſt hoc anno, ſexto Nonas Maias: quæ ab Anaſtaſio dicta ſunt, ſponte corruunt.

XXII. Cæterum Liberatus, qui his temporibus vixit, & Breuiarium hiſtoriæ ſuæ ſcribebat, vbi de Silverii electione agit, nihil penitus de vi illata clero ob intruſionem Silverii meminit, ſed hæc tantum ait *a*: *De Agapeti deceſſu audito, Romana ciuitas, Silverium ſubdiaconum Hormiſdæ quondam Papæ filium* (haud dubium ex legitimo matrimonio ante ſuſceptum, alias enim ad tantæ dignitatis gradum prorſus fuiſſet inhabilis.) *elegit ordinandum. Auguſta vero vocans Vigilium Agapeti diaconum, profiteri ſibi ſecreto ab eo flagitauit, vt ſi Papa fieret, tolleret Synodum, & ſcriberet Theodoſio* Alexandrino Epiſcopo hæretico, *Anthimo & Seuero, & per epiſtolam ſuam eorum firmaret fidem; promittens dare ei præceptum ad Beliſarium, vt Papa ordinaretur, & dari centena auri ſeptem. Libenter ergo ſuſcepit Vigilius promiſſum eius amore Epiſcopatus & auri: & facta profeſſione, Romam profectus eſt, vbi veniens inuenit Silverium Papam ordinatum. Quin & Rauennæ reperit Beliſarium in eadem vrbe ſedentem, eamq. obtinentem.* hæc Liberatus de electione Silverii & conatu Vigilii, quem acceſſitum oportuit poſt obitum Agapeti Conſtantinopolim, vbi cum eſſet, ea cum ipſo ſacrilega fœmina molita eſt. At Liberatus nihil penitus de violentia Theodati, nec de collata ipſi à Silverio pecunia, vt Pontifex crearetur. quod quidem crimen neque veriſimile fit, dum illud ipſum Silverius Vigilio ſedis ſuæ Inuaſori in libello ſententiæ, quem de ipſius damnatione conſcripſit, potenter obiiciat: quod haud puto adeo libere facere potuiſſe, ſi eiuſdem ipſe reus criminis extitiſſet. At de Silverii electione ſatis: petamus modo Gallias.

XXIII. Hoc anno, qui numeratur vigeſimus ſecundus Childeberti Francorum Regis (decimoquarto enim anno poſt quingenteſimum hic cum fratribus, defuncto Clodoueo patre, regnare cœpit) celebrata eſt in Galliis ſecunda Synodus Aurelianenſis, cui interfuerunt Epiſcopi triginta, licet per vicarios ſuos nonnulli. Inter eos autem plures fuerunt ſanctitate celebres, vt de quo inferius dicturi ſumus, Gallus Aruernenſis, Eleutherius Antiſiodorenſis, Lauto Conſtantinienſis, Paternus Abricenſis; licet pro Paterno, Perpetuus legatur. horũ omnium memoria eſt in Romano Martyrologio certis diebus, quibus eorum dies natales celebrantur. Interfuit & iniurioſus magni nominis Epiſcopus Turonenſis *b*. Extant eius Synodi canones viginti duo, inter quos qui numeratur, quartus decimus de oblationibus defunctorum, hęc habet: *Oblationem defunctorum, qui in aliquo crimine fuerint interempti, recipi debere cenſemus, ſi tamen non ipſi ſibi mortem probantur propriis manibus intuliſſe.* quorum tantummodo deſperanda ſalus eſſet. Quibus videas, haud facile conſueuiſſe maiores negare defunctis gratiam, quam ſuffragiis Fidelium eiſdem impartire Eccleſia ſoleret.

IESV CHRISTI Annus 537.

SILVERII PAP. Annus 1. IVSTINIANI IMP. 11. VITIGIS REG. 1.

I. QVi ſequitur annus CHRISTI quingenteſimus trigeſimus ſeptimus, poſt Beliſarii Conſulatum ſecundus, ponitur idem à Procopio ſecundus belli Gothici, & vndecimus Iuſtiniani Imperatoris: quo (vt idem teſtatur auctor *c*) Beliſarius Romam cogitans, primum omnium Neapolim ſibi obuiam munitiſſimam in Campania ciuitatem poſt duram viginti dierum obſidionem, in deditionẽ accepit, humaniſſimeq; (ſi Procopio credimus) tractauit: Beliſarii enim erga Neapolitanos clementia ab eodem Procopio commendatur. Verum à maioribus inuenimus traditũ, eumdem Beliſarium, ob nimiam cædem ibidem perpetratam, à Silverio Romano Pontifice, cum Roma potitus eſt, acriter fuiſſe reprehẽſum, & pœnitentiam agere compulſum, vt auctor Miſcellæ teſtatur *d*, omnino diuerſa ab iis, quæ à Procopio enarrantur: quem conſulas rem fuſius proſequentem.

II. Amiſſione igitur tanti præſidii, quod vnicum intercedebat medium petentibus Vrbem, magnopere conſternati ſunt Gothi, deque ſalute ſua penitus iam deſperare cœperunt, eoque magis, quod ſub Rege eſſent poſiti omnium ignauiſſimo, immo & de proditione ſuſpecto, quod viderent eum tanti præſidii iacturæ nullam prorſus habuiſſe rationem, neque de nobiliſſimæ vrbis excidio vel minimum quidem curaſſe, cum potuiſſet Gothorum conflato exercitu illi ſuppetias ferre, & anteuertere tantam cladem. Quamobrem eius è medio tollendi cõſilia inter ſe inire cœperunt, quod & citius perfecere: nam hoc eodem anno ab ipſis nouo creato Rege Vitige, interemptus eſt, cum regnaſſet annos tres, vt Procopius tradit, qui rem geſtam fuſius narrat, atque pertæſos Gothos ignauiæ ſui Regis non modo nihil de bellico apparatu in tanto rerum diſcrimine meditantis, ſed de rebus euenturis ſciſcitantis malis artibus Iudæum quemdam magum, ſtatim Vitigem Ducem exercitus antea è Dalmatia euocatum, virum ſtrenuum, bellicis ſudoribus vbique ſpectatum, Regem acclamaſſe. Cum eius rei perculſus nuncio Theodatus, ex Vrbe profugus, Rauennam verſus dum abiret: præuentus à militibus à Vitige miſſis occiditur. Tunc Romam cum ſuis Rex nouus progreſſus, filium Theodati Regis nomine Theodegiſclum coniecit in carcerem. Interea vero, quo ſibi agentes vbique Gothos redderet, vt Regi, in omnibus obſequentes, publicas omnibus ad omnes Gothos litteras dedit, ſcriptas ipſas quidem à Caſſiodoro fungente Pręfectura Prætorii, ab eodemque inter cæteras ſuas Varias aggregatas; quæ ſic ſe habent *e*:

VITIGES REX GOTHORVM.

THEODATVS OCCISVS.

d Paul. diac. hiſt. lib. 16.

e Caſſiodo. Var. lib. 10. epiſt. 31.

Vniuerſis Gothis Vitiges * *Rex.*

* Vitiges.

III. VITIGIS REGIS EPIST. AD GOTHOS.

Quamuis omnis prouectus ad Diuinitatis eſt munera referendus, nec aliquid conſtat bonum niſi quod ab ipſa dignoſcitur eſſe collatum: tamen quam maxime cauſa regiæ dignitatis supernis eſt applicanda iudiciis: quia ipſe nihilominus ordinauit, cui ſuos populos parere cognoſcit. Vnde auctori noſtro gratias humillima ſatisfactione referentes, indicamus, parentes noſtros Gothos inter procinctuales gladios, more maiorum ſcutorum ſuppoſito, regalem nobis contuliſſe, praſtante Deo dignitatem: vt honorem arma darent, cui bella opinionem pepererant. Non enim in cubilibus anguſtis, ſed in campis late patentibus electum me eſſe noueritis: nec inter blandientium delicata colloquia, ſed tubis concrepantibus ſum quæſitus: vt tali fremitu concitatus deſiderio virtutis ingenitæ Regem ſibi Martium Geticus populus inueniret. Quamdiu enim fortes viri inter bella feruentia nutriti Principem ferre poterant non probatum, vt de eius fama laboraret, quamuis de propria virtute præſumeret? Neceſſe eſt enim, talem de cunctis opinionem currere, qualem gens meruit habere rectorem. Nam ſicut audire potuiſtis, parentum periculis euocatus adueneram communem cum omnibus ſubire fortunam: ſed illi Ducem me ſibi eſſe non paſſi ſunt, qui exercitatum Regem quærere videbantur.

IV. *Quapropter primum diuinæ gratiæ, deinde Gothorum fauete iudiciis: quia me Regem omnes facitis, qui vnanimiter vota confertis. Deponite nunc damnorum metum: diſpendiorum ſuſpiciones abiicite: nihil ſub nobis aſperum formidetis. Amare nouimus viros fortes, qui ſæpius bella peregimus. Additur, quod vnicuique virtutum veſtrarum teſtis aſſiſto. Ab alio enim mihi non eſt opus facta veſtra narrari: quia omnia vobiſcum laboribus ſociatus agnoui. Amici* * *Gothorum nulla promiſſionum mearum varietate frangendi ſunt. Ad gentis vtilitatẽ reſpicient omne, quod agimus: priuatum nec vos amabimus. Hoc ſequi promittimus, quod ornet regium nomen. Poſtremo noſtrum per omnia pollicemur Imperium, quale Gothos habere deceat poſt inclytum Theodoricum; vir ad regni curas ſingulariter & pulchre compoſitus: vt merito vnuſquiſque Principum tantum præclarus intelligatur, quantum conſilia ipſius amare dignoſcitur. Idcirco parens ipſius debet credi, qui eius facta potuerit imitari. Et ideo pro regni noſtri vtilitate eſtote ſoliciti, de interna conuerſatione, Deo adiuuante, ſecuri.* hactenus Vitiges ad ſuos Gothos, quos omnes in Theodatum infenſos reddidit ſibi maxime obſequentes.

* Arma

V. CONSILIVM VITIGIS RECEDENDI AB VRBE.

At vero Beliſario victori ad tempus cedere coactus eſt, impoſſibile ſentiens contra fluminis impetum niti poſſe: haud enim ſatis virium nouo Regi, reſiſtere Iuſtiniano Imperatori, qui per Beliſarium regnum inuaſum iam magna ex parte poſſidebat, quique tot tantiſque ex Wandalico bello victoriis poſſet quibuſcumque videri tremendus. Quamobrem haud ſibi tutum putauit Romæ conſiſtere, & à Beliſario obſideri, ſeque ac ſuos in diſcrimen adduci. Sic igitur commonefactis (vt ait Procopius,) ipſo Silverio Romano Pontifice atque vniuerſo Senatu vt Gothis de omnibus benemeritis fideles perſiſterent, relicto Vrbi præſidio quatuor millium ſelectiſſimorum Gothorum militum ſub Duce Leudere, ipſe cum cæteris ad reparandas vires & res componendas profectus eſt Rauennam. Vbi cum eſſet, ſtatim legationem ad ſuos, qui in Gallia erant, Gothos mittit, & ad Francos, vt eos ſibi belli ſocios iungeret, ſicque tum ex ſuis, tum etiam ex ſociis exercitum compararet, quo rediens poſſet occurrere Beliſario, & cum eo collatis ſignis de rerum ſumma decernere. Mittens autem legatum ad reges Francorum, dat in mandatis, vt illis Gallias cedat, & pecuniam à Theodato pactam perſoluat, vt ſic illos his beneficiis obligaret.

VITIGES EXERCITVM COMPARAT.

VI.

Interea vero veriti Romani, ne paterentur, quæ paſſi erant Neapolitani: ſuadente (vt ait Procopius) Romano Pontifice, ſeſe Beliſario dedere; miſſoque, qui eum vocaret, nuncio, vno eodemq; die per Aſinariam portam ingreſſus eſt idem cum exercitu Beliſarius, & ex aduerſa egreſſi ſunt Gothi Rauennam ituri. Potitus igitur Vrbe Beliſarius, tamquam victoriæ inſignia claues portarum Conſtantinopolim miſit, vinctumque Leuderem Ducem Gothorum, qui capi potius, quam cum aliis fugam capere decreuiſſet. Quibus peractis idem Beliſarius in reparandis Vrbis mœnibus egregiam operam nauat.

VII. QVO TEMPORE CAPTA VRBS. a Euag. lib. 4. c. 18. * Erulis b Niceph. lib. 17. c. 13.

Quonam menſe anni huius, quotove eius die capta à Beliſario Vrbs fuerit, Procopius quidem rem tantam ſilentio præterit. Euagrius a vero his verbis id tamen facit: *Ciuitas itaque Beliſario ſine pugna tradita eſt, & Roma denuo Romanis ſubiicitur poſt annos ſexaginta, quibus à Gothis * occupata fuiſſet, nono die Apellei, hoc eſt, ad quintum Idus Decembris vndecimo anno Imperij Iuſtiniani.* hæc Euagrius, eademque Nicephorus b. Anaſtaſius vero in Silverio tradit, quarto Idus eiuſdem menſis Decembris Beliſarium eſſe Vrbem ingreſſum, anno autem, ex quo ab Erulis capta eſt, ſexageſimo expleto, ex quo vero à Gothis poſſeſſa c, anno quadrageſimoquarto.

c Miſc. l. 16. VIII. d Caſſiodo. Var. lib. 10. epiſt. 32.

Inter hæc Vitiges non prætermiſit tentare animum Imperatoris, ſi ad pacem eum perducere poſſet; decernitque ad eum legatos, quibus has litteras à Caſſiodoro d conſcriptas tradidit:

VITIGIS LITTERÆ AD IMP.

*Quanta ſit nobis, clementiſſime Imperator, gratiæ veſtræ votiua ſuauitas, hinc omnino datur intelligi, vt poſt grauiſſimas læſiones & tanta effuſione ſanguinis perpetratas, ſic videamur pacem veſtram quærere, tanquam nos nemo veſtrorum putetur ante læſiſſe. Pertulimus talia, qualia & ipſos offendere poſſunt, qui fecerunt inſecutiones ſine reatu, odium ſine culpa, damna ſine debitis. Et ne pro paruitate ſui negligi potuiſſet, non in prouinciis tantum, ſed in ipſo rerum capite, nempe Roma, probatur inflictum. Æſtimate quos dolores abiicimus, vt veſtram iuſtitiam reperire poſſimus. Talis res effecta eſt, quam mundus loquatur: quæ ſi à vobis meretur componi, vt æquitatem veſtram generalitas debeat admirari. Nam ſi vindicta Regis Theodati * quæritur, mereor diligi: Si commendatio diuæ memoriæ Amalaſuinthæ Reginæ præ oculis habetur, eius debet filia cogitari, quam inſſu veſtrorum omnium perducere decuiſſet ad regnum, vt cunctæ gentes potuiſſent agnoſcere viciſſitudinem vos gratiæ tanto pignori reddidiſſe.*

* Theobaldi, Theodobaldi.

IX. * faſtidia

*Illud etenim vos debuit permouere, quod diſtributione mirabili ante regni faſtigia * inuicem nos Diuinitas veſtram fecit habere notitiam, vt amoris cauſam tribueret, quibus affectus gratiam contuliſſet. Quali enim reuerentia Principem colere potui, quem adhuc in illa poſitum fortuna ſuſpexi? Sed poteſtis & nunc omnia reintegrare, quæ facta ſunt: quando non eſt difficile illum in affectu retinere, qui gratiam conſtat deſideranter expetere. Et ideo ſalutantes clementiam veſtram honorificentia competenti, indicamus nos legatos noſtros illum atque illum ad ſerenitatis veſtræ ſapientiam deſtinaſſe, vt omnia more veſtro cogitetis: quatenus vtrique Reſpublicæ reſtaurata concordia perſeuerent, & quod temporibus retro Principum laudabili opinione fundatum eſt, ſub veſtro magis Imperio diuinis auxiliis augeatur. Reliqua vero per legatos prædictos ſerenitati veſtræ verbo inſinuanda commiſimus, vt & aliqua epiſtolaris breuitas ſtringeret, & cauſas noſtras ſuggerentes plenius intimarent.* hactenus ad Iuſtinianum Vitiges: qui quod ait de filia Amalaſunthæ, tradit Procopius, eundem Vitigem, vbi Rauennam peruenit, eam ibi aſſeruatam matrimonio ſibi, inuitam licet, coniunxiſſe, vt ita ſanguinis regii, vel ex coniugis ſaltem parte regnum ipſum minime expers eſſet. Extant & tres aliæ Vitigis e epiſtolæ, occaſione eiuſdem legationis ad diuerſos datæ. At vero nihil hac legatione actum eſſe, declararunt euenta, cum non pax eam ſecuta ſit, ſed bella maximo apparatu comparata, vt docent, quæ ſuo loco dicturi ſumus anno ſequenti.

e Caſſiod. eod. lib. 10. epiſt. 33. 34. 35.

X. DE GOTHIS RAVENNAM FESTINANTIBVS.

Quæ vero acta eſſe hoc tempore memoria digna narrantur, cum contigit Gothorum profectio ex Latio Romaque concito gradu Rauennam; hic minime prætermittenda putamus, quæ probe ſibi cognita S. Gregorius in Dialogis refert, atque in primis de S. Bonifacio Ferentinæ ciuitatis Epiſcopo, cuius complura præclara geſta, vbi recenſuit, hæc de Gothis habet f: *Alio quoque tempore duo ad eum Gothi hoſpitalitatis gratia venerunt, qui Rauennam ſe feſtinare profeſſi ſunt: quibus ipſe paruum vas ligneum vino plenum manu ſua præbuit, quod fortaſſe in prandio itineris habere potuiſſent. Ex quo illi, quouſque Rauennam venirent, biberunt. Gothi autem aliquantis diebus in eadem ciuitate morati ſunt, & vinum, quod à ſancto viro acceperant, quotidie in vſu habuerunt. Sicque vſque ad eundem venerabilem ferentes reuerſi ſunt, vt nullo die ceſſarent bibere, & tamen vinum eis ex illo vaſculo nunquam deeſſet: ac ſi in illo vaſe ligneo, quod Epiſcopus eis dederat, vinum non augeretur, ſed naſceretur.* hæc de his Gregorius. Porro ſi hæc in iſta feſtinatione Gothorum contigerunt, cum illi menſe Decembri è Latio, Romaque Rauennam profecti ſunt, reuerſi vero ad obſidionem Vrbis menſe Martio; ingens plane illud oportuit fuiſſe miraculum.

f Greg. dialog. l. 1. c. 9.

XI. g Greg. dial. lib. 1. c. 10. QVID S. FORTVNATVS CVM GOTHO PERTICACE.

Sed quid idem S. Gregorius g his ipſis temporibus factum à Fortunato Tudertinæ ciuitatis Epiſcopo tradat, accipe: *Quadam (inquit) die Gothi iuxta Tudertinam ciuitatem venerunt, qui ad partes Rauennæ properabant, & duos paruulos puerulos de poſſeſſione abſtulerant, quæ poſſeſſio præfatæ Tudertinæ ciuitati ſubiacebat. Hoc cum viro ſanctiſſimo Fortunato nunciatum fuiſſet, protinus miſit, atque eoſdem Gothos ad ſe vocari fecit. Quos blando ſermone alloquens, eorum prius ſtuduit aſperitatem placare, ac poſt intulit, dicens: Quale vultis pretium, dabo, & puerulos, quos abſtuliſtis, reddite, mihique hoc gratiæ veſtræ munus præbete. Tunc is, qui prior eorum eſſe videbatur, reſpondit, dicens: Quicquid aliud præcipis, facere parati ſumus, nam iſtos paruulos nullatenus reddemus. Cui venerandus vir blande minatus dicit: Contriſtas me, fili, & non audis patrem tuum. Noli me contriſtare: nam non expedit tibi. Sed idem Gothus in cordis ſui feritate permanens, negando diſceſſit.*

XII. GOTHVS DIVINAM SENSIT VINDICTAM.

Die vero altera digreſſurus, rurſus ad Epiſcopum venit: quem iiſdem verbis pro dictis puerulis iterum Epiſcopus rogauit. Cumque ad reddendum nullo modo conſentire voluiſſet, contriſtatus Epiſcopus dixit: Scio quia tibi non expedit, quod me contriſtato diſcedis. Quæ Gothus verba deſpiciens, ad hoſpitium reuerſus, eoſdem pueros, de quibus agebatur, equis ſuperimpoſitos cum ſuis hominibus præmiſit: ipſe vero ſtatim aſcendens equum, ſubſecutus eſt. Cumque in eadem ciuitate ante beati Petri Apoſtoli Eccleſiam veniſſet, equi eius pes lapſus eſt: qui cum eo corruit, & eius coxa mox fracta eſt, ita vt in duabus partibus os eſſet diuiſum: leuatumque in manibus, reductus eſt ad hoſpitium. Qui feſtinus miſit, & pueros quos præmiſerat, reduxit, & viro Fortunato venerabili mandauit, dicens: Rogo te Pater, mitte ad me diaconum tuum. Cuius diaconus cum ad iacentem veniſſet, pueros, quos redditurum ſe Epiſcopo omnino negauerat, ad medium deduxit, eoſq; diacono illius reddidit, dicens: Vade, & dic domino meo Epiſcopo: Quia maledixiſti mihi, ecce percuſſus ſum: ſed pueros, quos

quæſiſti

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

quæſiſti, recipe: & pro me, rogo, intercede. Suſceptos itaque pueros illos diaconus ad Epiſcopum reduxit: cui benedictam aquam venerabilis Fortunatus ſtatim dedit, dicens: Vade citius, & eam ſuper iacentis corpus proiice. Perrexit itaque diaconus, atque ad Gothum ingreſſus, benedictam aquam ſuper membra illius aſperſit.

XIII. Vide aquæ benedictæ vſum atq; virtutem, quam ſubdit his verbis: *Res mira & vehementer ſtupenda: mox vt aqua benedicta Gothi corpus contigit, ita omnis fractura ſolidata eſt, & ſaluti priſtinæ coxa reſtituta, vt hora eadem de lecto ſurgeret, & aſcenſo equo iter ageret, ac ſi nullam vnquam læſionem corporis pertuliſſet. Factumque eſt, vt qui ſancto viro Fortunato pueros cum pretio reddere obedienti ſubiectus noluit, eos ſine pretio pœna ſubactus donaret.* hæc Gregorius, quæ ſe accepiſſe teſtatur à ſene ciue Tudertino, viro fideli, plura alia prætereà narrat de eodem viro ſanctiſſimo Fortunato, cuius virtus miraculorum exuberans etiam in Gothos Arianos large aquæ benedictæ aſperſione manauit, quam Nouatores infeliciſſimi, Arianiſq; deteriores contemnunt. Floruerunt his temporibus inter tot Italiæ clades viri ſanctiſſimi, quorum pluribus in locis idem ſanctus Gregorius in Dialogis meminit, noſque opportune, ſe offerente occaſione, ſuis locis mentionem habebimus. Iam vero ad res Orientalis Eccleſiæ narrandas orationem conuertamus.

XIV. Hoc anno Paulus Epiſcopus Alexandrinus Orthodoxus incaute agens, homicidii reus conſiliatus atque damnatus, in exilium eiicitur, ſubrogato in locum ipſius Zoilo. Hæc autem quomodo ſe habuerint, quam diligenter proſecutus eſt Liberatus a, qui de ipſo hæc ait poſt eius electionem: *Accepit ab Imperatore poteſtatem ſuper ordinationem Ducum & Tribunorum, vt remoueret hæreticos, & pro eis Orthodoxos ordinaret: per illos enim populi inualeſcebant. Qui Alexandriam deſcendens, timore ſui, ſuaque induſtria addixerat ſuſcipere Concilium Chalcedonenſe, niſi interueniente diabolo talis emerſiſſet cauſa. Cogitante Paulo Epiſcopo remouere Elian Magiſtrum militum, Pſoius diaconus quidam & Oeconomus Eccleſiæ amicus Eliæ, per portitores litterarum velociſſimos peliſtres (quos Ægyptij Synaſios vocant) omnia volumina Paulo ſcribebat. Contigit autem Paulum inuenire litteras eius Ægyptiaca ſcripta, & legere: & timens quod de Proterio contigerat, ſchiſma ſe ex factum eſt, & cœpit Pſoium compellere facere rationes Eccleſiæ: quem tradidit Iudici, & Imperatori de eo retulit. Eo tempore apud Alexandriam Rhodo erat Auguſtalis, qui eum accipiens cuſtodiendum vſque ad Imperatoris præceptum, conſilio cuiuſdam primatis ciuitatis nomine Arſenij, acceptis muneribus, iuſſu (vt fertur) Epiſcopi, clam nocte totis viribus eum magis cruciatum occidit. Cuius filij & affines Imperatorem interpellantes, ſuggeſſerunt ei, quia vt eorum parens debitum mortis perpeſſus ſit. Quod audiens Imperator, vocauit Liberium & fecit eum Auguſtalem, miſitque eum Alexandriam inquirere cauſam. Ad quam vrbem Liberius cum veniſſet, Rhodonem ad ſe venire iuſſit, & ab eo requirebat, quomodo occidiſſet diaconum. Ille vero reſpondit, iuſſione Epiſcopi factum fuiſſe: habere ſe Imperatoris delegationem, aiebat, vt quicquid iuberet Epiſcopus, modis omnibus impleret. Sed negante Paulo Epiſcopo, & ſe neſcire clamante, prior ille ciuitatis Arſenius homicidij illius auctor inuentus, morte mulctatus eſt. Porro Epiſcopo Paulo Gazam in exilium miſſo, Rhodo cum geſtis de eo actis directus eſt Conſtantinopolim. Cuius Geſta cum intra Palatium legerentur Principi: iuſſit eum duci, & foras regiam ciuitatem occidi.*

XV. *Et poſt hæc miſit Imperator Pelagium diaconum & Apocriſiarium primæ ſedis Romæ Antiochiam cum Sacris ſuis, quibus præcepit vt cum Euphemio * eiuſdem vrbis Epiſcopo & Petrus Hieroſolymita & Hippatius Epheſinus veniret Gazam, & Paulo Epiſcopo pallium auferrent & deponerent. Pelagius vero profectus Antiochiam & inde Hieroſolymam, cum memoratis Patriarchis & aliquantis Epiſcopis venit Gazam, & auferentes Paulo pallium, depoſuerunt eum, & ordinauerunt pro eo Zoilum, quem poſtea Imperator depoſuit, & Apollinarem ordinauit, qui nunc eſt Præſul ipſius Alexandrinæ Eccleſiæ.* hæc Liberatus. Cæterum Zoili condemnationem poſt annos tredecim contigiſſe ex numero annorum ſedis eius à Nicephoro poſito, dicere opus eſt. Sed non prætermittamus referre quæ ſub eodem Paulo Alexandrino Epiſcopo accidiſſe admiratione digna apud Sophronium habes b:

b Prat. Spirit. c. 207.

XVI. *Narrauit* (inquit) *nobis Abbas Theonas & Theodorus, quod Alexandriæ ſub Paulo Patriarcha puella quædam relicta fuerat pupilla à parentibus magna facultate locupletibus. Erat autem adhuc ſine baptiſmo. Die vero quadam ingreſſa pomarium, quod ſibi reliquerant parentes eius (ſunt enim in medio ciuitatis pomaria) vidit quemdam parantem ſibi laqueum, vt ſe præfocaret. Cucurrit igitur, & dixit ei: Quid facis, homo? Dixit autem ei: Dimitte me, mulier, quoniam in multa tribulatione ſum. Quæ ait: Dic mihi cauſam, & fortaſſis adiuuare te potero. Dixit illi: Graui ære alieno premor, & valde ſuffocor à creditoribus, elegique potius ſemel vitam finire, quam quotidie mori. Quæ dixit illi: Quæſo te, accipe omnia, quæ habeo, & redde: tantum ne perdas teipſum. Sumens vero ille, reddidit omnia. Puella ergo anguſtiari cœpit, non habens, qui ſibi curam gereret: itaque deſtituta parentum ſolatio, fornicari inſtituit, & inde ſibi victum quærere. Dicebant ergo viri illi ſancti Theonas & Theodorus,* admirantes ſcilicet: *Quis nouit iſta, niſi ſolus Deus: quomodo ſcilicet permittatur anima propter cauſam aliquam ipſi ſoli cognitam ad tempus derelinqui? Poſt aliquantum vero temporis infirmata eſt puella, & in ſe conuerſa compuncta eſt, orauitque Pontificem, vt faceret illam Chriſtianam. Omnes autem aſpernabantur eam, dicentes: Quis hanc ſuſcipiat, quæ meretrix eſt? Affligebatur autem vehementer. Cum vero in huiuſmodi eſſet anguſtiis, aſtitit illi Angelus in ſpecie hominis, cum quo miſericordiam fecerat. Cui illa dixit: Cupio fieri Chriſtiana, & nemo vult pro me loqui. Qui ait: Nunquid re vera iſtud cupis? Reſpondit illa: Vtique domine, & deprecor te, vt hoc mihi impertias. Qui ait: Noli triſtari. Ego adducam aliquos, qui te ſuſcipiant. Adduxit ergo alios duos & ipſos ſanctos Angelos. Duxeruntque illam ad Eccleſiam. Rurſuſque ſe ipſos transformantes in perſonas quaſdam illuſtres & notas in ordine Auguſtalium, vocant clericos, presbyterum ſcilicet & diaconum, qui in hoc ipſum conſtituti erant.*

PVELLA MISERICORS MISERICORDIAM CONSECVTA.

XVII. *Dicunt eis clerici, Veſtra charitas pro ea pollicetur? Illi autem reſponderunt: Etiam nos pro illa pollicemur. Sumentes ergo illam, baptizauerunt: & albis induta, rurſus ab eis ſubuecta eſt. Quam cum depoſuiſſent euanuerunt. Vicini ergo cum illam ita albis indutam viderent: poſtquam receſſerunt illi dicunt ei: Quis te baptizauit? Nunciauit autem eis rem totam, dicens: Venerunt quidam & tulerunt me in eccleſiam, locutique ſunt clericis & baptizauerunt me. Et dixerunt ad illam: Quis ſunt illi? Cum vero non poſſet dicere, qui eſſent illi: abeuntes nunciauerunt Epiſcopo. Dixit autem Epiſcopus his, qui ad baptizandum conſtituti erant. Et confeſſi ſunt ſe illam baptizaſſe, exoratos ab illo & illo Auguſtalibus. Porro accerſitis ex Prætorio his, quos clerici dixerant, dixit Epiſcopus; Num ipſi pro iſta fideiuſſiſtis? Qui dixerunt: Neq; nouimus, neq; conſcij ſumus, nos hoc feciſſe. Tunc vero iam cogitauit Epiſcopus, Dei hoc eſſe opus. Conuocanſque illam, dixit ei: Dic mihi, filia, quid geſſiſti boni? Quæ ait: Meretrix exiſtens & paupercula, quid boni facere potui? Dixit illi Epiſcopus: Nihil omnino operata es? Dixit: Non, niſi quod videns quemdam, qui à creditoribus premebatur, ſe ſuffocare volentem, data illi omni ſubſtantia mea, liberaui eum. Et his dictis, continuo obdormiuit in Domino. Tunc Epiſcopus glorificans Dominum, dixit: Iuſtus es, Domine, & rectum iudicium tuum.* hucuſque auctor, non abſque probatorum virorum teſtificatione hæc aſſerens.

XVIII. Quod ad Zoilum pertinet Epiſcopum Alexandrinum, teſtatur Agatho Papa in epiſtola ad Imperatores Conſtantinum, Heraclium & Tiberium, ad eundem Zoilum ſcriptum fuiſſe à Iuſtiniano Imperatore edictum pro fide Catholica, aduerſus Acephalos: quod exſcriptum idem Agatho Papa ad dictos Auguſtos miſit. caremus nos eo, neque vſquam inuenimus, cuius ſaltem hic meminiſſe oportuit.

XIX. Quod vero ad reliqua, quæ ſunt anni huius, ſpectat, dicere minime prætermittimus, reperiri hoc anno editas complures Iuſtiniani Imperatoris conſtitutiones: eſt

inter

a Nouel. 47. b Nouel. 54. 55. c Nouel. 56. d Nouel. 58. e Nouel. 49. 59. 60. & ſup. Nouel. 57. c. 49.

inter alias illa data Kalendis Septembris a, qua in cunctis monumentis publicis apponi voluit nomen Imperatoris, Conſulum, & Indictionis, de qua ad confirmandam temporis rationem ſuperius egimus: aliæ b item de permutandis Eccleſiaſticis rebus: inſuper ne etiam aliquid ſoluatur pro admittendis clericis in eccleſiam c: item qua vetuit in priuatis domibus ſacra d fieri: & aliæ e ad funera defunctorum conſtitutiones ſpectantes: quas cunctas tu, lector, otioſus conſulere poteris: nos hic imponimus anni huius rerum geſtarum finem.

IESV CHRISTI
Annus 538.

SILVERII PAP. Annus 2. IVSTINIANI IMP. 12. VITIGIS REG. 2.

I. VRBS A VITIGE OBSESSA.

CONSVLIBVS Ioanne atque Voluſiano aperitur annus Domini quingenteſimus trigeſimus octauus, idemque à Procopio numeratus annus tertius belli Gothici in Italia: quo Vitiges Gothorum Rex, reuocatis in Italiam Gothis qui apud Francos erant, comparato exercitu (vt auctor eſt Procopius) centum & quinquaginta millium militum, aduerſus Beliſarium veniens, Romam menſe Martio obſidere cœpit, quæ autem crebrò inter vtramque partem ſint conflata certamina, iterati conflictus, & quam in multis prudentia & bellica fortitudo Beliſarii enituerit, eundem exactè cuncta narrantē Procopium conſule. Sat nobis pauca quædam à b inſtituto haud abhorrentia, ſed maxime congrua hic inſerere, quæ ad pietatem ſpectare poſſe pius quiſque cenſebit, vt cum hæc ait de mœnium cuſtodia f:

f Procop. de bello Goth. lib. 1.

II.

Inter hanc portam, nempe Flaminiam, *& alteram ad dexteram huic proximam portulam, porta alia eſt, quæ Pinciana vocatur. Huic proximi muri pars quædam, lapidum laxata iampridem compagine ſciſſa ſpectatur, non ſolum à ſolo, ſed à medio ad ſummum faſtigium ſciſſa, nec ſane collapſa, nec alias reſoluta, ſed vtrinque ſic inclinauit, vt cætero muro extrinſecus partim prominentior eſſe appareat, partim retractior. Hanc muri partem cum demoliri initio primum Beliſarius niteretur, & iterato ædificare cœpiſſet: obſtitere Romani. Petrum Apoſtolum pro indubitato ſe comperiſſe, aſſeuerantes, eius loci tuendi pollicitum curam ſe ſuſcepturum. Quod vtique Romanis ex voto ſucceſſit: quandoquidem nec eo die, quo per Gothos ſunt mœnia oppugnata, nec per omne id tempus, quo Vrbem obſederant barbari, hoſtilis vis vlla ad hunc locum peruenit, nec plane vnquam eodem tumultuatum. Et ſane me admiratio ſubit, nec Romanis, nec hoſtibus ipſis in ea tam diuturna Vrbis obſidione in memoriam veniſſe murì hanc partem. Quæ res cum miraculi poſtea loco ſit habita, nec ſarcire quidem in poſterum quiſpiam, nec de integro reſtituere auſus eſt ſed ad hunc diem ea è regione ſciſſus permanet murus.* hucuſque Procopius. Cernitur vſque hodie ipſe paries ab alio diuiſus, & quaſi iamiam caſurus deorſum inclinatus: vt qui neſciat, timeat illac pertranſire. Extant & ibi proxime venerandæ imagines, indices veteris eiuſdem loci ſacri cultus.

c. MVRVS VRBIS SVB S. PETRI PROTECTIONE.

III.

Sed illud maioris miraculi obtinet locum, quod cum per annũ & amplius, Vrbe obſeſſa, in ſuburbiis morã fecerint barbari, iidemque Ariani atque Romanæ Eccleſiæ hoſtes, nihil tamen contumeliæ damniue intulere ipſis Apoſtolorum baſilicis extra Vrbem poſitis, ſinentes illic Catholico ritu libere ſacra peragi. Audi enim de his ipſa verba Procopii g: *Extat autem* (inquit) *Pauli Apoſtoli templum Romanis procul à mœnibus ſtadiis decem & quatuor, iuxta quod Tiberis fluit, vbi nullum patet munitum eſſe præſidium: porticus tamen eodem ab Vrbe pertinens, circaque ædificia alia pleraque non ſatis ad inuadendam opportunum locum hunc reddunt. Patebat & Gothis ad id ſacrarium via, per quos omnibus conſtat per id belli tempus in * neutra dedicata Apoſtolis æde quicquam editum, quod incolentibus vel moleſtum eſſet, vel quoquam pacto ingratum, ſed ſacratos ibidem viros libere permiſſerem diuinam peragere.* hæc Procopius: quibus vehementer redarguas, exprobres, & execrationibus diris inceſſes recentes hæreticos diaboli faces, fæceſque hæreticorum, ſacra Deo dicata vbique Sanctorum monumenta rapinis incendiiſque vaſtantes.

g Procop. de bello Goth. lib. 2. GOTHI VENERATI BASILICAS ORTHODOXORVM. * id

IV.

At audi portentũ, attende facinus omni execratione dignum Romæ hoc tempore perpetratum ab eo, qui ſe Catholicæ fidei eſſe cultorem præ ſe ferebat ac defenſorem hactenus laudatiſſimum, Beliſario. Pro mõſtro plane habitum eſt, vt cum qui foris erant barbari hoſtes Gothi Ariani, ne clericorum quidem iniuria damnoue affecerint, nec impedierint, quominus Apoſtolis ſacri ibi conſiſtentes Deo dicati miniſtri diuerſi ordinis clerici conſuetum cultum impenderent, Apoſtolorumque baſilicis nec leue damnum attulerint: eodem tempore, qui intus degebat, pius, iuſtuſque hactenus ſemper viſus: ab Imperatore miſſus expugnare barbaros, Vrbemque ab eorum tyrannide vindicatam tueri, Dux exercitus Beliſarius, idem ex improuiſo tyrannus apparuerit, atque ſacrilegus in cathedram Petri & in vniuerſam Romanam Eccleſiam, eam barbarice tyrannicequae iniuriis damnoque afficiens atque profanans, iniiciensque violentam manum in ipſum Romanum Pontificem, deturpans inhoneſtansque ipſum viſibile loco Chriſti poſitum Eccleſiæ caput. Quomodo autem id acciderit in primis Procopium h audi ita rem tantam paucis abſoluentem.

h Procop. de bello Goth. lib. 1.

V. THEODORA QVÆ ADVERSVS SILVERIVM SIT MOLITA.

Deinde (inquit) *oborta ſuſpicione, Siluerium vrbis Romæ Pontificem defecturum ad Gothos: hunc quidem confeſtim tranſmittit in Græciam, alterum vero quempiam illi ſufficit Vigilium nomine, non ſecus & alios quoſdam & hos Senatorios viros.* hæc ipſe: ſed doloſæ fraudis iſte prætextus fuit: eiuſmodi enim velamento obtegebatur, quod impia Theodora (vt dictum eſt ex Liberato diacono) cum Vigilio ab Vrbe Cõſtantinopolim accerſito molita fuerat: nempe ſe effecturam, vt ipſe Pontifex expulſo Siluerio, crearetur, dummodo quod ſpoponderat inſana cupiditate flagrans ambitione Vigilius, Anthimum ab Agapeto damnatum in Conſtantinopolitanam ſedem reſtitueret. Sed quæ de his paulo fuſius Anaſtaſius habeat, audiamus: *Theodora vſa conſilio cum Vigilio diacono, miſit epiſtolam Romam ad Silnerium Papam rogans & obſecrans: Ne pigriteris ad nos venire: aut certe reuoca Anthimum in locum ſuum. Hæc cum legiſſet beatus Siluerius, ingemuit, & dixit: Modo ſcio, quia cauſa hæc finem vitæ meæ adducit. Sed beatiſſimus Siluerius fiduciam habens in Domino & beato Petro reſcripſit, dicens: Domina Auguſta, ego rem iſtam nunquam ero facturus, vt reuocem hominem hæreticum in ſua nequitia damnatum. Tunc indignata Auguſta miſit iuſſiones ſuas ad Beliſarium Patricium per Vigilium diaconum iſta continentes: Vide aliquas occaſiones in Siluerio Papa, & depone illum de Epiſcopatu, aut feſtinus certe tranſmitte eum ad me. Ecce ibi habes Vigilium Archidiaconum & Apocriſarium, noſtrum chariſſimum, qui nobis pollicitus eſt, reuocare Anthimum Patriarcham. Tunc ſuſcipiens iuſſionem Beliſarius Patricius, ait: Ego quidem iuſſionem facio: ſed is, qui intercedit in necem Silnerii Papæ, ipſe reddet rationem de factis ſuis Domino IESV CHRISTO.*

VI. QVA CALVMNIA IN SILVERIVM EXCOGITATA.

*Et vrgente iuſſione, exierunt quidam falſi teſtes, qui dixerunt: Quia nos multis vicibus inuenimus Siluerium Papam ſcripta huiuſmodi mittere ad Regem Gothorum: Veni ad portam, quæ vocatur Aſinaria iuxta Lateranas, & ciuitatem tibi trado & Beliſarium Patricium. Quod audiens Beliſarius, primo non credebat: ſciebat enim, quod per inuidiam de eo hæc dicebantur. Sed dum multi in eadem accuſatione perſiſterent, pertimuit. Tunc fecit Beliſarius Patricius beatum Siluerium Papam venire ad ſe in Palatium Pincis *, & ad primum & ſecundum velum retinuit omnem clerum. Ingreſſo itaque Siluerio & Vigilio ſolis in Mauſoleo, Antonina Patricia* Beliſarii vxor *ſedebat in lecto, & Beliſarius Patricius ſedebat ad pedes eius. Et dum vidiſſet eum Antonina Patricia, dixit ad eum: Dic, domine Silueri Papa, quæ fecimus tibi & Romanis, vt tu velles nos in manus Gothorum tradere? Adhuc ea loquente, ingreſſus ſubdiaconus regionarius Regionis primæ tulit pallium de collo eius, & duxit eum in cubiculum, & expolians eum, induit eum monachicam veſtem, & abſcondit eum. Tunc Sixtus ſubdiaconus Regionis ſextæ videns*

* Pincii vel in Pincis.

eum

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN